

Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.

Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

---

Johannes Crudopius

**Joannis Crudopii, De Mikrokosm, Seu De Mirando Hominis Officio, Dignitate, Et  
Excellentia Prae Omnibus Aliis Dei Creaturis, Oratio Theologico-Physica**

Rostochii: Pedanus, 1620

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729271994>

Druck    Freier  Zugang



F. Crudopius.  
R. U. phil. 1620.



JOANNIS CRUDOPII,  
DE  
**MIKROKOΣΜΩ**,  
SEN  
DE MIRANDO HOMINIS  
OPIFICIO, DIGNITATE, ET EXCEL-  
LENIA PRÆ OMNIBUS ALIIS DEI  
CREATURIS,  
**O R A T I O**  
Theologo-Physica.

Non mihi, sed soli petitur jam gloria Christo:  
Qui nobis, quicquid nos sumus, omne dedit.

**R O S T O C H I I**  
Typis suis exscripsit Joachimus Pedanus  
ANNO M. DC. XX.

AMPLISSIMIS, ET CONSULTISSIMIS,  
nobilitate generis, sapientia, virtute, & doctrina,  
Clarissimis Viris,

Dn. DANIELI EGGBRECHT, I.U.D.

Dn. ADAMO RESTORP,

Dn. MICHAELI FUCHSIO, I.U.D.

inclitae Reip. Wismar. Consulibus authoritate  
gravissimis, & meritissimis:

Dn. MARTINO TANCKEN, I.U.D.

ibidem Syndico dignissimo, & integerrimo:

Spectatissimo, eruditissimo virtute, ac humanitate,  
singulari ornatus Viro,

Dn. JOHANNI IARCHOVIO,

territorij Santoviensis Praefecto vigilantissimo, &

Literatorum Mecenati optimo:

U.T.E.T.

Consultissimo, omnique virtutum genere politissimo viro

Dn. EBERHARDO ELMHOFF,

Secretario Reip. Wismar fidelissimo, & de ea  
præclarè merito:

Dominis Patronis, Promotoribus, & fautoribus

suis plurimum observandis;

perpetuam felicitatem, ac salutem ab invictissimo  
Salutis cornu Iesu Christo, ex animo  
precatur.

M. Johannes Crudopius,  
Suerinensis,

En



**N**obis, Amplissimi, Præstantissimiq; viri, hanc de HO-  
MINE Orationem, quam nominis vestri Amplitudini, & Dignitati  
inscribendam duxi, potissimum dnas ob causas. Quarum una est ma-  
teria illius honestas, dignitas, & utilitas: quæ & vobis, ut spero, maxi-  
mè grata, & jucunda erit. Cum enim Opt. Max. Jehovah, vos p̄ te et teis homi-  
nibus, non tantum natalium splendore, virtutum claritate, eruditio[n]is & eloquen-  
tia præstantia, & autoritatis eminentia sp̄eciatissimâ insigniter ornaverit: verum  
etiam Reip. administrationem, & tutelam fidei vestrae sancte commiserit; ut  
personam civitatis, juxta illud Cic. pro C. Rabir. § 2. off. geratis, ejusq; dignita-  
tem & decus sustineatis, feratis opem patriæ, succurratis saluti, fortunisq; com-  
munibus, vestram salutem posteriorem saluci co[m]muni ducatis, servetis leges,  
jura describatis, & ea fidei vestrae commissa memineritis; insperatis vero, ut bene-  
ficiis Ecclesiæ, & scholæ nutriti: Esa. 49. §. 23. annon hoc recordari, & ob  
oculos semper ponere (ut & sapissime facitis) utile vobis, jucundum, & salutare  
est? annon illud divinum *γεωργίαν τον*, pectoribus tenacissime insculpere,  
& ad usum fidelissime transferre, multum vestro interest? Nimirum omnes qui-  
dem illi, qui cœlestium & terrestrium rerum noticiam magni estimant, & scruta-  
tantur, laudem sine invidia merentur: at qui scientia illi præponunt leprosos noſſe,  
longè sunt præstantiores, teste Augustino de Civ. Dei lib. 4. Altera dedicationis  
cauſa, est debita habenda & referenda vobis gratiæ pietas. Nam decennio hoc  
integro, quo operam meam scholæ vestrae locatam habui, niſi me præclarissimi  
meritis à vobis affectum esse fatear, certè mentiar. Nonne id ut reliqua universa  
taceam, summi beneficij loco ponendum est, quod, cum mihi nuper Magisterij  
gradus Rostochij decerneretur, haud exiguis me sumptibus sublevasti? Quod  
quoties mihi ob oculos pono, (sit autem id quotidie) toties doleo, nihil ejusmo-  
di à me proficii posse, quo latem, cum beneficia singula remunerari mearum  
non sit virium, gratiæ animi memoriam testari queam. Sordent passim apud bo-  
nos ingratii, & merito sordent. Etenim ut gratitudo est laudatissima virtutum  
omnium, res Deo, & hominibus grata, jucunda, gratiæ; nominis, M. Sabell. lib. 7.  
e. 1. ita ingratitudo est omnium virtuorum terribilium, quod omne debitum hone-  
statis tollit. Nam qui benemeritis negligit referre gratiam, is sane commercium  
dandi & accipiendi beneficia tollit, sine quo nulla Resp., imò nulla Comitum  
vita constare potest. Val. Max. lib. 5. tit. de Ingrat. Quocirca cum gratia à me,  
quanta debetur, referri nequeat; habenda tamen censeo, quantum maximam  
animus meus capere paret. Cumq; intelligam, magnates doctos, & sapientes  
monumentis literarum sibi inscriptis, non parum delectari; effugere ingratii hospi-  
tis notam me quoquo modo posse existimavi, si quid Incubrationum mearum  
(aliud enim nihil suspetit) Ampli. & Præstantia Vestra consecrarem, atq; addo  
vobis, si non ad *αὐτὸν δέχεσθαι*, saltem ad *αὐτὸν εργάζεσθαι* posthac obstrin-

gerem. At posset me quidem jam deterrere. Amplitudo & dignitas vestra, ne-  
Oratiunculam hanc vestro conspectui offerrem, cum illa sententiarum florculis,  
& figurarum stellulis minus, quam pro materie excellentia, polita sit, ac elaborata:  
vestra tamen humanitas cum candore conjuncta, meos honestos conatus ut spero,  
& opto, approbabit; cum & hic locum habere possit: *divit' eo pugnare*  
*xy ro. Ιεληγειη περλον*, In rebus magnis & voluisse sat est. Tua vero, Jar-  
chobi optimè doctrina, virtus, humanitas, & benevolentia singularis, qua literatos,  
& omnes ad virtutem contendentes, benignè foves, & amplecteris, animum mihi  
addidit; ut & tibi quicquid mei est laboris, una jam offerre, & dedicare non dubi-  
tem; spe certa fretus, meum hoc pietatis, ac humanitatis studium atq; officium  
eibi non ingratum fore. Quocirca, Viri præstantissimi, hoc chartaceum mu-  
nusculum, ab homine dignitatis vestra obseruantissimo & studiofissimo, serena-  
fronte, ac benevolo animo, quæso, accipite: ac me in posterum vobis commen-  
datum, solitoq; patrocinio, favore, amore, & promotione haud indignum habete.  
Quam gratiam si à Vobis impetrayero, operam me lufisse, aut oleum perdidisse  
nunquam putabo, omnemq; curam, operam, ac industriam ed conferam; ut me  
vobis esse addictissimum, totumq; consecratum, intelligatis. Deum ardentissi-  
mis votis precor; ut vos omnes spiritu consilij, gratiae & sapientiae sua sanctissime  
beet: ut bene vivatis, bene dicatis, bene agatis omnia, ad utilitatem publicam,  
& vestiarum animarum saltem pertinientia: ut retrinente bonam conscientiam,  
& firmam in Christum fidem, tandem celesti vita & gloria fruamini. Bene &  
feliciter Valete, & faventi favete Patroni, & factores benignissimi. Dab.  
VVI mar. Calend. Januarijs, auspicantibus annum 1620, cujus initium, medium  
& finem vobis faustissimum & latissimum ex animo precor.

Dolissimo, & peccantissimoq; viro,

Dn. M. JOHANNI CRUDOPIO,

od huc

**C**RUDOPI, humani celebrator corporis, omnes

Ut Plastæ statuant corde trophea, monessi

Omnis Homo idcirco te ipsum quoq; tollit honore,

Atq; tuas laudes predicas omnis Homo.

Qui se ipsum nobis, satagit simul esse quod audit:

Qui se non nobis, bellua totus homo est.

Quoniam de cælo descendit ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΤΤΟΝ,

Hares E affixum templi in Apollineo.

M. JOHANNES POSSELIUS:

Grecæ linguae Professor in Acad. Rost.

ORA-

\* \* \* \* \*

## ORATIO.

**P**ervulgatum satis est, Auditores  
præstanissimi, insigne illud Chilonis Phi-  
losophi Lacedæmonij dictum: *τυθι οὐα-  
νην*: quod olim à Delphis tanti æstimatum  
fuit, ut id tanquam Oraculum non huma-  
no ingenio excogitatum, sed à Deo ipso profectum, val-  
vis templi Apollinei, literis aureis inscribendum curarint:  
quò quid maximè in omni vita discendum & sciendum  
esset, idem sibi quisq; ob oculos positum haberet.  
Nimirum saniores hi Eihni, dictamen rectæ rationis se-  
cuti, satis intellexerunt, nihil quicquam Homini honestius,  
nihil utilius, nihil jucundius, nihil deniq; magis necessa-  
rium esse; quām bene seipsum nosse: tum ut suæ quisq;  
infirmitatis, & mortalitatis memor, humiliter de se sen-  
tire, affectus impetuoso coercere, vitia fugitare, & vir-  
tutes sectari sedulō enitatur: tum verò in primis, ut ad  
gratias Deo agendas: pro admiranda corporis humani  
fabricatione, & pene divinâ Rationis, ac Orationis fa-  
cilitate, quā præ reliquis omnibus animantibus Homo  
ornatus est, singuli excitentur. Hinc etiam rectissimè  
*Hugo: Melior es, inquit, si te ipsum cognoscas, quām  
si te neglecto cursus siderum, vites herbarum, comple-  
xiones, naturas animalium, adeoq; omnium cœlestium,  
& terrestrium rerum scientiam habeas. multi enim multa  
sciunt, & seipso nesciunt, cùm summa Philosophia sit  
cognitio sui Hugo lib. 1. de claustro anima. Sed & naturā  
homini ita comparatum est, ut tum cæteris rebus, cùm  
se cognoscit, excellat; sed si se nosse desierit, infra bestias*  
A 3 deiiciâ-

deiciatur. Nam cætetis animantibus fere ignorare, natura est: hominibus vero virtus venit. Boet. de philos. Consol. lib. i. prosap. 5. Quocirca divinum illud predicti Philosophi, μῶδι οὐαντί, (cui affine illud Simonidis, μέμνην ἀνθεωπόων; & Periandri, οὐαντί τον ἀμέλει) non, more Delphorum, januis, sed animis nostris tenaciter insculpendum, & ad usum fideliter transferendum existimemus. Etenim hac ratione veluti manu quadam, ut Basilius verbis utar, sufficienter ad Dei notionem deducimur. Ac quidem quis tantæ impietatis, aut dementie esset, qui & Sui, & Dei pariter noticiam non appeteret? Verum enim est juxta Poëtam:

*Unum nosse Deum sapientia summa, scipsum*

*Proxima, cui nota hæc duo, salvis erit.*

Unde & Augustinus subinde orasse fertur: *Da mihi Deus nosse te, & nosse me.* Quanquam vero in tanta, tamq; immensa rerum omnium creatarum universitate, nihil tam minutum, tamq; abjectum est, unde inconspicuus ille Deus intelligi non possit: potissimum tamen summus ille Opifex in Homine, tam affabre, tam concinne, tamq; sapienter condito, sepe perspiciendum, & cognoscendum exhibere voluit. Proinde Basilius Hominem non immitius ~~misericordia~~ ~~merita~~ ~~fraternalia~~, seu expressissimum Dei simulachrum dici posse contendit. Id ipsum cum ab Ethniciis satis intellectum sit, atq; de predictum demiramur certè, imò detestamur potius supinam nonnullorum hujus seculi hominum incuriam; qui aut nihil prouersus, aut frigidè saltem, atq; oscitanter seiplos, naturæq; opera scrutentur, & excutiant, ac rariissime quidem pro mirando hoc Creationis beneficio, immortali Jehovæ gratias agunt. Sanè si Imperatores, & Principes optimo jure veneramur; ac suspicimus, magnosq; illis honores deferrimus, quorum beneficentiam manifestè deprehendimus, quo-

quorumq; numeribus indies cumulatè fruimur: quanto  
magis Deum suspicere, ac venerari par est, qui nos ad  
seam imaginem rationis participes, prae tot animaginum  
generibus condiderit, atq; in omnes res creatas, quæ-  
cunq; terræ totius ambitu continentur, imperium attri-  
buerit, genusq; humanum perenni ordine ac serie, non  
sine admirabili propagationis successu, subsistere jubeat.  
Quamobrem, Auditores, ut Ego vobiscum, & vos me-  
cum ad substantiam, & naturam humanam pressius, fi-  
xiusq; contemplandam, exuscitemini; atq; in magni illius  
rerum omnium Effectotis, & Moderatoris amorem, &  
admirationem magis magisq; exardescatis: *Εὐθεῶς μέ-  
σας*, primum de Hominis pre reliquis Dei creaturis o-  
mnibus nobilitate & prestantia dicam: deinde de *μητέρων*  
seu de pulcerissima Hominis cum mundo symmetriâ & similitudine, colophonis vice breviter & perspicue  
differam. Etsi autem meæ in dicendo tenuitatis optimè  
mihi sum conscius, ut huic prestantissimæ materiæ vix  
satis me facere posse profitear: veltra tamè singularis  
in omnes ad fastigium virtutis & eruditionis contendentes  
humanitas & benevolentia, spem mthi maximam fa-  
cit, fore; ut meum hunc honestum contatum non modò  
approbetis, sed & benignè exigul temporis attentionem,  
quam antehac alijs non denegasti, mihi quoq; prestetis.  
Quod si, ut spero & opto, impetravero, me mei in dicen-  
do laboris; & vos vestræ in attendendo diligentie, &  
temporis fortè non pœnitibit.

Ac initio quidem omnium scire, & attendere per-  
magni inter eit, Hominem non conflatum ex fortuito, &  
cœco atomorum concursu, ex quo pulcerissimum hoc  
mundi opificium genitum assitmarunt Epicurus, Demo-  
critus & Leuippas, *Diog. lib. ult. in vita Epicuri.* nec à  
Prome-

Proin theo aut Deucalione, ut alij fluxerunt Ethnici, for-  
matum: sed à sempiterna illa, atq; undiq; circumfusa-  
mente, quam Græci ιερὸν & Jehovam Hebræi magno &  
sancto nomine appellarunt, creatum esse. Quod ipsum  
Moles etiam scriptor ille rerum antiquissimus disertis ver-  
bis affirmit, Gen. I. Postquam enim Deus Opt. Max.  
cœlum, ac sublonarem hunc mundū condidisset, omniaq;  
tam mirabilis sapientia atq; artificio construxisset, ut nihil  
ad necessarios usus, ad commoditatem, atq; ornatum  
decesset, visus est illi desiderari aliquis, cui ista essent usui,  
quiq; se his oblectaret, atq; frueretur. Itaq; completo,  
atq; perfecto omni naturæ ornatu, Hominem ad suam  
similitudinem & imaginem sapientissime, atq; artificio-  
sissimè è limo terræ formatum: eiq; inspiravit animam de-  
vitali fonte spiritus sui, qui est perennis, ut ipsius mundi  
ex contrarijs constantis elementis, similitudinem gereret.  
Constat enim ex anima & corpore, id est, quasi è cœlo, &  
terra: quandoquidem animam, qua vivimus, velut è cœ-  
lo oritur à Deo: corpus è terra, quod è limo diximus esse  
formatum. *Lattant. lib. 8. de format. Hom.* Cumq; jam  
Protoplasm una cum uxore sua Eva, quæ illi, ne inanœ-  
nam vitam degeret, in adjumentum & societatem adjun-  
cta erat, in mundum tanquam in suam possessionem Deus  
produxisset; illi omnium rerum principatum ac præfectu-  
ram asseruit: Multiplicamini, inquiens, replete, subigit  
eam vobis, & in pisces aquatiles, volucresq; aëreas, & oī  
mnes, quæ in terris moveantur, bestias imperium exercete.  
Atq; adeò Hominis caussa omnia producta in lucem, il-  
liusq; usui cuncta patere, ac exposita esse certum est.  
Quod ipsum agnoscit *Psalmus regius*, *Psal. 8. gratiæ*; animi  
argumenta proferens; Fecisti illum, inquit, paulo ange-  
lis inferiorem; imò propemodum ut Deum quendam glo-  
ria

ria & honore decorasti, illumq; præfecisti operibus à te  
creatris. Hanc etiam prærogativam à mundi exordio ob-  
tinuit, adeò omnia, dum vigent, ac consistunt, homini  
obsequantur ac famulentur. Causa vero efficiens Ho-  
minis dupliciter vel respectu primæ creationis, vel propa-  
gationis considerari potest. Ratione primæ Creationis  
causa totalis est Deus, qui ut est omnipotēs, sapiens, mis-  
ericors, ita ex mera bonitate, sapientia, & misericordia,  
tum totam hanc mundi machinam, omnesq; creaturest, tū  
in primis hominem illarum Dominum creavit. Quanquā  
verò cætera animantia eundem cum Homine conditorem  
habent: modus tamen Hominis à Deo creati planè novus  
describitur. Sic enim Deus: Faciamus, inquit, Gen. I. v.  
26. 27. &c. Hominem in imagine nostra secundum simi-  
litudinem nostram. Ubi Jehova in plurali numero decre-  
tum suum profert: tum honoris causa, quemadmodum  
mundi principes in decretis, ad majorem autoritatem,  
conciliandam, sua nomina in plurali numero proferunt:  
tum maxime ut indicetur tota sacrosancta Trinitas, quæ  
hunc sermonem in honorem & favorem solius hominis,  
non bestiarum, enunciavit. Cur autem die & vice ulti-  
ma Deus Hominem, tanquam suorum operum Epilogum  
condiderit, miramur potius, quam intelligimus: nihil  
tamen minus rationes hæ memoratu dignæ videntur.  
Cùm enim Homo totius naturæ finis, atq; eorum omniū,  
quæ fuere creata, princeps, & Dominus esse deberet, ne-  
cessè fuit, ut tanto Domino de domo egregie ornatâ, atq;  
amplissimè instructâ, prospiceretur, antequam in eam  
immitteretur. Tum voluit Jehova Hominem ob inter-  
num, externumq; ornatum, atq; amplissimas doles in  
ipsum cumulatissimè transfusas, μηδέσομεν esse, in quo  
summatim & cœlestia & terrestria omnia, tanquam in

B

parva

parva mappa depicta contineretur: itaq; mundum totum  
prius fabricari oportuit, quam ejus summa in homine de-  
scriberetur. Tum etiam Deus Hominem anima & cor-  
pore constantem conditus, omnia ad utriusq; partis fe-  
licitatem spectantia præparavit, priusquam hominem  
ipsum conderet. Ad animæ beatitatem pertinebant cœli,  
corumq; ornatus, quem contemplatur: rerum enim  
cœlestium contemplatione mirifice humana mens affici-  
tur, & in cognitionem etiam Opificis, inq; ejus amorem  
adducitur facilius. reñqua omnia ad corporis felicitatem  
pertinebant, quæ nimirum infra cœlos sunt, & quæ illis  
ad fruendum tradita esse videmus. Postremo monstrat  
sic Deus nobis ordinem, quem observabit, atq; etiamnum  
in natura observet, ut ab imperfectis ad perfecta progres-  
sus fiat. Considerat prius inanima, materiam primam,  
lucem, cœlos, post plantas, quæ animam habent vegeta-  
tricem tantum, deinde pisces avibus imperfectiores, por-  
rò volatilia tanquam minus perfecta, quam terrena animalia.  
Cum itaq; id, quod perfectissimum est, licet in-  
tentio primam, ultimum tamen productione sit, asse-  
rente Aristotele lib. 2. de calo cap. 5. mirum non esse debet,  
quod homo perfectissimus rerum omnium, conditus est  
ad extreum, cum & corporis & animi dignitate omnia  
antecellat animalia. Sed missis ipsis, progrediamur ad  
causam Hominis proximam, seu minus principalem ra-  
tione propagationis: ea certè est utriusq; sexus homo:  
qui Deus, ut causa principalis, sed remotior, hanc dedit  
benedictionem, ut multiplicetur & terram impleat. Gen.  
1. v. 28. & 9. v. 1. Iob. 10. v. 9. Homo igitur & Deus homi-  
nem adhuc procreant. Quanquam enim Deus omnipo-  
tens universam terram operire hominibus vel momen-  
to potest: ordinatione tamen divina yult masculum & fœ-  
minam.

minam cohjungi ut legitimò fôrò generentur homines  
& conjugium, quod inter omnes honorabile esse debet,  
sibi placere ostendat. *Heb. 13. v. 4.* Materia seu caussa è  
Hominis, itidem bifariam consideratur, videlicet ratione  
Creationis primæ divinæ; & ratione generationis, seu  
propagationis humanæ, atq; successivæ. Respectu ge-  
nerationis successivæ, materia hominis est naturale semē  
& matis & foeminæ: de qua materia Philosophos & Me-  
dicos litigantes inter se committimus. Ratione verò pri-  
mæ Creationis, pro sexus diversitate variat & materia  
alia enim fuit viri, alia foeminæ. Materia Adami fuit  
mediate limus terræ. *Gen. 2. v. 7. & 3. v. 19.* atq; hæc ma-  
teria cum ipso nobis communis. *Job. 10. 9. Psal. 103. v. 4.*  
Qualis autem terra isthæc fuerit, non est, ut scrupulosè  
inquiramus. Alij putant, terram fuisse non aridam, &  
sicciam, sed madidam, luti fictilis, seu argillæ instar. Alij  
contrà ex fontibus demonstrare conantur, terram istam  
fuisse aridissimam, ut etiam præ ariditatè rubuerit, adeoq;  
fuisse pulverem de terra, id est, terram suâ naturâ friabilē,  
& in ventos facile abeuntem. Ut ut sit, hominem prox-  
imè non immediate ex nihilo, sed ex elementari materia,  
& quidem terra, conditum esse liquet. Hanc verò mate-  
riam, sive limosam, sive pulverulentam, ita sapientissimus  
ille rerum omnium architectus, singulari studio & artifi-  
cio ornavit, ut quasi integrum humani corporis ædificiū  
è luto extruxisse videatur. Nam columnarum, trabium,  
& tignorum initia, constituit ossa, quorum spacia carne,  
nervis, arterijs, venis, ceu palea, & cémento explentur,  
ac pelle, ceu calce obducuntur. Quomodo autem ex in-  
digesta, & informi terræ gleba, humanum corpus tam  
affabre, & exactè nervis, venis, arterijs, ossibus, cute, &c.  
compositum exiruxerit, nimium hæc scrupulosè rimari

procacis est ingenij; satius est Dei potentiam mirari. Cæterum cur Deus Hominem Creaturarum alioquin excellissimum ex terra ædificaverit, questio hic certè non supervacua autvana est; ut videlicet homo, cum ob conditionem suam inter ~~mij~~ Dei universis Creaturis augustinus, nobilior & sublimior merito habeatur; ob limum & latum (quid enim aliud sumus?) gereret se submissorem, velut ipsum hoc humilitatis argumentum Deus adhibet. Gen. 3. v. 19. Pulvis es, & in pulverem reverteris. Quod autem ad materiam fœminæ Evæ attinet, deprehendimus ex sacris litteris: eam esse castam, quam Deus ex latere Adami jam consopiti, & quasi ~~evançans~~ sumperat, loco exemptæ costæ carne vicissim occluso, ne quicquam integrati virilis corporis décederet. Gen. 2. v. 7. Fœminam itaq; Deus non ex pulvere, sed ex viro; non ex carne, sed ex osse; non ex osse quolibet, & nudo osse, Gen. 2. v. 23, sed ex costa Adami carne cooperta, formavit, nova anima inspiratione, ut quæ non necessaria erat non adhibita. Nam costa de viro accepta non fuit exanimis, & mortua, sed animata; & viva costa, divino opificio in mulierem exædificata. Cur autem fœminæ materiam ex viro sumere voluerit, ratio hæc vera est; ut virginem tamquam partem sui, autoritate ac vi creationis, & naturæ, nec non instituti divini, sibi adjunctam esse cognosceret, eamq; secum unum & idem corpus esse animadverteret, & ardenter diligeret Eph. 5. v. 28. Deus osse autem & quidem ex costa fœminam ideo formavit Deus, ut mulier viro adjutorium, statumen, & pedamen tuum esset. Gen. 2. v. 18. Nam quemadmodum costæ, stabilitamenta sunt corporis, ita uxor, mariti. Sed quorsum hæc omnia ita prolixæ memorata? quorsum: ut ex tali sapientissima maris & fœminæ fabricatione & ordinatione:

tione; præstantia & dignitas hominum præ alijs animantibus evidentius eluceat. Contemplemur porrò ipsum corpus humanum; en excellentem & spectabilem illius formam, moribus animæ obsequiosam! en statum illius excelsum atq; in cælum erectum! en os sublime ac resupinatum! Nimirum hæc corporea forma homini est convenientissima. Cum enim statuissest Deus ex omnibus animalibus solum hominem facere cœlestem, cœtera universa terrena, hunc ad cœli contemplationem rigidum erexit, bipedemq; constituit, scilicet ut eadem spectaret, unde & illi origo est. Illa verò decessit ad terram, ut quia nulla his immortalitatis expectatio est, toro corpore inhumum projecto, ventri, pabuloq; servirent. Hinc Græci dignitatē hominis aliquanto magis attendētes, vocem ἀνθρωπον duci putant, quasi ἀνθρώπων, sursum se vertens; quod solus inter omnia animalia ad cœlum erectus incedat; quo pertinet & illud Ovidij i. Metam:

Pronaq; cum spectent animalia cœtera terram,  
Os homini sublime dedit cœlumq; tueri,

Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Gaudēamus itaq; Auditores, de resta hac corporis nostri forma; omnium illa excellentissimā, & vere divinā; atq; in recto corpore animum etiam rectum ad Deum, non curvum ad creaturas, habeamus necesse est. Quid enim indecentius, inquit D. Bernhardus, quām curvum in recto corpore animum gerere? Eurubescit anima mea volutari in cœno, quæ in cœlo tuum habes πλεύση, & ad cœlestia facta es. Sed quid dico de corporis sublimitate, & rectitudine? Ecce etiā caput hominis quām artificiosè pulchritè & aptè illud ad figuram cœli rotundatum, & supremo corporis loco constitutum! in quo tranquillā in arce seu curia, sensus interpres, & nuncij rerum,

mirificè ad usus necessarios & facti & collati sunt. Cic. 2.  
de Nat. Deor. Quid memorem Oculos t' anquam specu-  
latores , altissimum locū obtinentes ? qui ciliorum tegmi-  
nibus fideliter occulti : quorum orbes concavis clausi fo-  
raminibus : quiq; sunt & lubrici , & mobiles, ut declinent,  
si quid noceat , & aspectum quò velint , facile convertat:  
quibus etiam multum præsidij & ornamenti addunt pal-  
pebræ , & superciliorum fastigia pilis brevibus pulcherri-  
mè adornata. Nec mirum , aures binas hominis , cùm so-  
num percipere debeant , rectè in altis corporum partibus  
collocatas esse : quæ pari formâ mirificè formatæ , eæq;  
nec pendulæ , nec flaccientes , nec duris & solidis oīsibus  
rigentes , sed molli cartilagine ita capiti alligatæ sunt , ut  
aptam simul & flexibilem firmitatem habeant. Itemq;  
nares , eò quod omnis odor ad supera fertur , rectè sur-  
sam sunt ; & quodd cibi & potionis judicium magnum ea-  
rum est , nec sine cauſa vicinitatem oris secutæ sunt. Na-  
sus ita locatus est , ut quasi murus oculis interjectus videa-  
tur. Quid ? tota facies hominis , genis , rictu oris modicè  
diducto , & mento non multum à genis distante , alijsq;  
partibus pulcherrimis tam sapienter , & decenter ornata  
& decorata est , ut nihil ad speciem pulchrius , nihil ad u-  
sum melius , & utilius esse possit. Et quis cæteras corpo-  
ris homani partes eo , quo par est modo & artificio recen-  
sere poset , in quibus formandis & aptè disponendis mira  
arte & sapientia usus est Deus. Hic thoracem medio lo-  
co inter calvariam , & ventrem illi substratum , colloca-  
vit : hic teres & rigidum collum capiti subjicit , idq; spi-  
næ dorsi , atq; humeris insitum ita fabricavit , ut in colli  
posteriori parte sit cervix , in priori guttur , complectens  
tum asperam arteriam per quam spiritus ducitur tum gu-  
lam , per quam cibus , & potus ad stomachum transmitti-  
tur.

sur. Hic scapulas à cervice demissas, ex quibus brachia  
dependent, artificiosissimè condidit. Hic sub gutture  
pectus latum, & erectum ex duodecim costis construxit.  
Hic sub cervice dorsam, & intra pectus cor ad sinistri la-  
teris mammam posuit, ad dextrum verò latus pulmones  
latius extendit: qui spiritum per os, & asperiam arteriā,  
ex aëre ductum, extenuatum, & temperatum, in cor trans-  
mittunt: quo spiritu nisi cor refrigeraretur, vita animalis  
nimio æstu extingueretur. Hic mammae & papillas le-  
viter eminentes, & parvis orbibus coronatas, pectori ad-  
didit: non tantum ut cordis calorem defendant, & pena  
alimenti nascentium sint; sed ut homines & animalia bru-  
ta, illo ipso mammarum ad pectus positu discernant. Be-  
stiae tantum nutrit sobolem, postea negligunt, & obli-  
vio sequitur sobolis & parentum; quia ubera illis in po-  
sterioribus partibus sunt posita. Homines verò ex cor-  
de quasi transfundunt ~~sanguin~~ in sobolem, ac reiinetur me-  
moria, ac mutuus amor. Quid plura? Hic summus re-  
rum Opifex Deus linguam hominis adhærentem fauci-  
bus inclusit palato & dentibus, ut beneficio linguae ora-  
tionem formare, & animi sensa, articulata & distincta,  
voce exprimere possit. Hic condidit stomachum à gu-  
læ dependentem, qui est propriè meatus, per quem cibus  
in ventriculum, tanquam cibi receptaculum demittitur.  
Hic imum ventrem partem corporis ignobilissimam, non  
supremo, nec medio, sed in eo loco posuit, & eundem tam  
aptè distinxit, ut umbilicus non tantum medium ventris  
planicie n., sed & centrum totius corporis non indecenti  
nota demonstret. Hic thoraci brachia annexuit: hic la-  
ceros, ac uilem, decentemq; flexuram cubitorum effin-  
xit. Hic manus & digitos tam perfecto numero tam de-  
centi ordine, tam flexibili curvatura articulorum parium,

tam.

tam rotunda forma, ungvium distinxit, atq; ita formavit,  
ut corpori admoveant utilia, removeant ab eodem inuti-  
lia. Et sanè haud scio, an quid præ cæteris animantibus  
magis ornat hominem, quam manus multarum rerum mi-  
nistrae: quas ob id Aristoteles organa organorum appelle-  
bat, cum ijs mens humana & inveniendis & absolvendis,  
& exercendis artibus utatur; unde & Anaxagoras ma-  
num caussam sapientiae, & hominem propter manus sa-  
pientem dicit; cum homini, qui mente & prudentia præ-  
ditus est, additæ sint manus, tanquam mentis ministrae,  
quibus in omni genere artium & studiorum uti posset;  
quibus etiam si mens careret, ocoiosa prorsus esset, & in-  
efficax in omnibus actionibus. Et quis præterea pedes  
fulera illa gracilia? quis femora genuum nodis finitima?  
quis crura suris teretibus nonnihil eminentibus, sensimq;  
attenuatis ornata? quis plantas, digitosq; pedum, aliaq;  
omnia membra hominis tam apte, tam affabre, tamq;  
utiliter disposita satis describere, & depraedicare potest?  
Certè si cum ijs cœlum, terra, mare, sol, luna, cunctaq;  
cœtera, quæ in amplissima hac rerum existentium univer-  
sitate sunt, conferantur, Deum utiq; plus operæ in for-  
mando homine, quam in toto mundo fabricando posu-  
isse nemo, opinor, est qui non intelligat. Sed quid præ-  
dico eximiam corporis structuram, & staturam? longè  
sane nobilior, & præstantior est altera pars hominis, A-  
nimæ; quæ divinitus inflata, principium est, quo vivimus,  
sentimus, movemur, & intelligimus: quæq; est εν λέχεια,  
seu continuata, & perennis motio, & omnium actionum  
viventis corporis caussa, imò ipsa hominis vita, & forma:  
quippe quæ corpore tanquam instrumento utitur, licet  
virtute divina sibi copulato, tamen eo currente manet,  
manente currit, clausis oculis videt, apertis interim

cæcu-

cæcutit, quiescente operatur, operante quiescit. Cujus  
animæ partes seu potius potentias, quales sunt vegetans,  
sentiens, & rationalis, nemo hominum, si vel Ciceronis,  
vel Demosthenis eloquentia esset præditus, satis verbis  
extollere, & celebrare potest. Sed ut tantum rerum fa-  
stigia tangamus posthabitum animæ potentij, duabus ve-  
getantem nimirum, & sentiente, (quæ homini cum reli-  
quis animalibus sunt communes quæq; etiam cum cor-  
pore nascuntur & intereunt) paulisper mecum, Auditio-  
res, contemplemini nobilissimam illam omnium, ac præ-  
stantissimam animæ facultatem, quæ nomen à Ratio-  
ne habet, qua homo longissime à brutorum natura di-  
stinguitur, & quam proximè ad Deum ipsum accedit:  
quæ in capite tanquam in curia, seu celsa arce sedet ut  
regina, & domina: quæ imperat illi parti, quæ obedire  
debet, velut servo Dominus, velut imperator militi, velut  
parens filio; 2. *Tuscul. Cic.* quæ bene adhibita cernic-,  
quid optimum sit, neglecta itultis implicatur erroribus;  
4. *Tuscul.* quæ postulat, ne quid insidiosè ne quid simula-  
tè, ne quid fallaciter agatur; *lib. 1. off.* quæ lex vera, atq;  
princeps est; apta ad jubendum, & vetandum: 2. *de Legib.*  
quam si è homine tollis, nihil est homine deformius; nihil  
truculentius, nihil ferocius. Tolle, *inquit Laurentius Ju-*  
*stinianus Patriarcha*, tolle ab homine rationem, & erit  
tanquam navis in medio æquoris, absq; gubernaculo, &  
directore. *Laur. Justin. cap. 1. de contemptu mundi.* Quemad-  
modum enim navis orta maris tempestate, facile submer-  
gitur, nisi gubernator sua industria regat; sic affectiones  
ad deteriora rapiunt hominem, nisi recta ratione guber-  
netur. Et contrà ut navis, cui firma est anchora, in quo-  
vis portu potest conquiescere: ita animus si accedat recta  
ratio, quovis in loco tanquille valet. O dotes humanæ

C

Ratio-

Rationis maximè mirandæ, & amabiles! Æ virtutes pene  
divinæ & incredibiles! Accedit & huc honore & admi-  
ratione dignum, quod regina hæc omnium actionum.  
Ratio, duas quasi famulas, seu potentias divinitus sibi  
concessas habeat, quarum ministerio semper utatur,  
Mentem videlicet, & Voluntatem Mentis notiones, quas  
Græci οὐνας εὐνοίας vocant, ejusq; actiones fere divinæ  
sunt, ac ineffabiles. Perpetua enim sciendi cupiditate  
tenetur, ac admirabili celeritate & sagacitate omnia in-  
telligit, & investigat, ac hyperphysica quadam vi pene-  
trat in omnia Dei opificis opera, simplicia, & concreta;  
communia singulis ex rebus eliciens, & inter se compa-  
rans tam singula, & simplicia; quam communia & con-  
creta cognoscit: scrutatur singulorum naturas, caussas,  
vires, differentias, propria, accidentia: Perspicit etiam  
quid recte, quid pravè, quid iniquè dicitur, factumve  
sit; ratiocinatur antecedentia cum consequentibus con-  
ferens, ex alijs de alijs conjecturam faciens, prævidens,  
similia cum similibus comparat, dissimilia discernit, con-  
sultat, judicat, loquitur differit. Ex hac mentis indaga-  
tione & ratiocinatione sunt artes Logicæ; hinc discipli-  
næ Mathematicæ. Hinc Physices, hinc deniq; totius  
Philosophiæ disciplinæ ortum habent. Hæc est illa  
mens, quæ docente Deo, Deum conditorem, & filium  
ejus Iesum Christum, & testimonia de Dei essentia, sa-  
pientia, & bonitate toti rerum universitati impressâ co-  
gnoscit, & alijs cognoscenda demonstrat. Sed quid de  
altera Rationis famula nimirum voluntate statuis? Ea  
profecto per se, & ex se prout condita est à Deo, laude  
& amore longè dignissima. Hæc enim liberè, quicquid  
Mens, vel recta Ratio bonum vel malum judicat; eligit;  
& ex petit; vel averget, & rejicit: Hæc in primis sum-  
mum

mum bonum; quæ est vera Dei agnitus, fides in Christum, & vitæ æternæ fructus; ex animo unicè appetit, & amat, inq; eo solo acquiescit: quin & quamdiu lucis hujus usura frui homini contigit, pietati studet, virtus fugiat, virtutes amplectitur, suū cuiq; tribuit, veritati assentitur, verbum Dei libenter audit, & cultus Deo debitos præstat. At cur tot animæ dotes & virtutes tam prolixè, & disertè enumerando persequor? certè non nisi ut eximia illa Hominis præ alijs animalibus dignitas, eminentia, & nobilitas deprehendatur. O admirabilem Dei erga nos clementiam! O ineffabilem beneficiorum divinitus in nos collatorum magnitudinem! Sed & Hominis excellentiam hoc accedit, quod is non tantum Ratione, sed Oratione polleat, quæ est articulatus, & distinctus linguae sonus, sensa animi distinctè proferens, & velut interpres mentis est; Cic. lib. i. de Interpret. quâ, ut cum Græcis amicis loquar: διανῆμα θεωρεῖται: quæq; Φυλάκης ποστός εἰσ φάγουσσεν, γέ λύπην οἶδεν ιαδεῖ: quæq; Deum invocat laudat, & celebrat, veritatem profert, sacra Dei dogmata rectè & purè docet, corruptelas dextrè refutat, tristes consolatur, atq; adeò dicendo, communicando, disceprando, judicando conciliat inter se homines, conjungitq; naturali quadam societate. Cic. lib. i. de Leg. Quæ omnia cùm ita se habent, ecquis Aristotelem cap. 7. Eth. errore lapsum non profitabitur, quando afferit hominem non esse τὸ ἄρετον εἰ τὸ κόσμῳ, seu, quod in mundo sint ἀλλὰ τὰ τὸ θεόπερα, alia homine multo diviniora? Nihil dicam de quinq; hominis sensibus exterioribus, quales sunt, Tactus, Gustus, Odoratus, Auditus, Visus. Nec memorabo tres sensus hominis interiores, qui ea, quæ sunt ab externis percepta, dijudicant: quorum primus

est Sensus Communis, qui locum in prima cerebri sede,  
seu ventriculo habet, & est quasi princeps, ac omnium  
sensuum externorum judex. Alter Phantasia, seu ima-  
ginatio, quæ rerum sensibilium imagines à sensu commu-  
ni perfectas, diligentius examinat, atq; expendit. Ter-  
tius, Memoria, quæ sedem in postrema cerebri parte, ve-  
lut in recessu quodam positam habet, & omnes percepta-  
rum rerum imagines conservat. Maximè verò Homi-  
nem inter alia animantia præclarum reddit, figura illius  
externa; quæ tam eximia, tam formosa, tamq; Deo pro-  
pria, ut non tantum profani authores, homines pruden-  
tissimi, Deos suos, nulla alia, præterquam humana figurā,  
in templis, delubrisq; pingi, & effigi voluerint: sed &  
sacri scriptores, homines divino spiritu afflati, verum &  
vivum Deum sic expresserint, nobisq; contemplandum  
proposuerint, ut illi faciem humanam, humanos oculos,  
humanas aures, humana brachia, & cætera hominis mem-  
bra tanquam speciosissima attribuerint. Quid quæso  
globoso hoc mundo, cuius incolæ nos sumus, vel pul-  
chrius, vel ornatius non dicam reperiri, sed excogitari  
potest? tam pulchræ sunt stellæ, tam splendidum solis ju-  
bar, tam amoena Luna, tam suaves volucrum cantus, tam  
jucundæ animum, riparumq; viriditates, tam deniq; de-  
corus, tamq; pulcher totus mundus, ut admirari satis mens  
nequeat. considerando, oculi satiari non possint intuen-  
do. Hæc tot & tanta opera quanquam sunt excellentis  
pulchritudinis, & admirandæ formæ: homo tamen, cu-  
jus unius caussâ Deus immortalis cuncta fabricavit, non  
modo non est deformior, sed tanto præstantior, & for-  
mosior, quanto dux potentissimus quispiam gregarium  
quendam militem, splendore, authoritate, atq; magni-  
ficentia antecellit. Quod si figura illa pulcherrima ho-  
minem,

minem non satis commendat; consideremus ipsius sapientiam incredibilem, ac pene divinam. Quid est, quod à Deo mundi opifice mirabili arte, & sapientia conditum est, quod non imitetur humana industria, non expoliat hominis solertia? Creavit Deus, cuius nomen sit benedictum, rotundam terræ machinam, eamq; in medio mundi constituit, atque illi circumfudit aquam, utriq; aërem, aëri ignem, igni cœlestia corpora: at cœlum sua manu imitans, in parvo vitro expressit homo Syracusanus, tam artificiose, ut omnes motus stellarum, omnes revolutiones circulorum conspicere potuerint. Terram vero, illaque circumfusam aquam non tantum homines ingeniosissimi jam olim in tabulis æneis sortè, solerterq; depinxerunt, hodieq; depingunt: sed etiam eandem tot operibus, tot ædificijs, tot ornamentis excoluerunt, hodieque tam prudenter, tamque mirabiliter excolunt, ut non hominum mortalium, sed angelorum immortalium opera non immerito censeri debeant. Quid enim tot maximas urbes, tot templa amplissima, tot Xenodochia, tot scholas, tot curias, tot pontes, quoiquot toto terrarum orbe visuntur, extinxerunt, munivit, ampliavit? Homines. Quis tot arcas magnificas, tot turres excelsas, tot muros, tot propugnacula fortia, tot regias domos, tot palatia, tot basilicas ædificavit, instauravit, exornavit? Homines. Quis insulas, quæ prius non erant, excitavit? quis easdem continentia adjectit? quis aquas, flumina, lacus, derivavit, corrivavit, exsiccavit? Homines. Quis brutis stabula, & vivaria? quis stirpibus hortos? quis libris bibliothecas, pecunijæ æraria, navibus portus, & navalia, annonæ horrea, & cellas, aquis pureos, & aquæ ductus fecit, refecit? Homines. Ergo hæc omnia & alia his similia tam mirabiliter ab hominibus inventa, tamq; artificiose disposita & con-

fecta, præstantiam certè, & dignitatem hominum incre-  
dibilem, ac pene divinam esse confirmant. Et quoniam  
justicia multum quoque ad similitudinem hominis cum  
Deo, atq; imaginem comprobandam facit; certè nemini  
dubium est, eâ virtute præ cæteris creaturis hominem  
prædictum atque ornatum esse. Hoc autem justiciæ esse  
munus præcipuum, præmia merentibus distribuere, scele-  
rum convictis supplicia constituere quis ignorat? Sic  
enim illam veteres homines sapientissimi figurarunt, ut  
libratus lances in læva illius ponerent, & in dextra fasces  
cum ad alligata securi, statuerent. Quæ igitur Creatu-  
rarum præter hominem, instar Dei facit judicia? quæ  
damnat nocentes, absolvit innocentes? an verò usquam  
aliam esse Creaturam tam divinam putatis, quam Deus  
mundi opifex teræ judicem sedere voluerit. Itaque ne  
pluribus rationibus confirmem, justiciam post Deum, ho-  
minis esse propriam; in eodem homine reliquas virtutes,  
quæ sub justicia continentur, considerare. Quam divi-  
næ, quam gloriose, virtutes sunt, liberalitas, clementia,  
temperantia, castitas, fides, pietas? Atq; his omnibus  
prædicti fuerunt, & sunt etiamnum ornati homines, non  
bruta animalia. Homines enim auxilium subministrant  
depressis, & laborantibus; impertiuntur victum non-  
habentibus. Homines injurias hostium oblivione  
conterunt: condonant supplicium in gratiam benemer-  
itorum deprecantium. Homines Corporis voluptates  
non suspiciunt: ea, quibus non indigent, despiciunt.  
Homines fidem præstant; promissis suis & receptis satis-  
ficiunt. Homines deniq; & amant parentes, & rever-  
entur cognatos, & observant amicos: & quod in primis  
Deo homines conjungit, Deum fontem omnis boni  
agnoscunt, agnatum amant, amatum celebrant. Quæ  
cùm

cum ita sint, ecquis dubitare ausit, quin homo omnium  
creaturarum praestantissimus sit, & excellenfissimus, qui  
tam divina opera dedit, tamq; honesta, legisq; divinae  
congruentia officia. Age verò, quid de potentia, qua  
homo præditus est, dicemus? Nonne Homini subiecta  
est terra, servit mare, ancillatur aér, præstant ministerium  
omnes creaturæ, atq; omnia animalia? Sane his omni-  
bus dominatur solus homo, & omnia huic soli subser-  
viunt. Subjacent hominibus omnes terræ, atq; omnia  
humanæ nascentia. In potestate hominum sunt Asia,  
Europa, Africa, America, Magellanica. Et his quinq;  
maximi terræ tractibus, quotquot continentur agri, cam-  
pi, montes, colles, & valles, hæc omnia sunt hominum.  
Quanta quæso est copia aromatum, gemmarum, lapi-  
dum, metallorum in Asia? quanta multitudo arborum,  
herbarum, fruticum in Europa? quantus numerus fera-  
rum, leonum, Camelorum, armentorum in Africa? hæc  
sunt omnia hominum. Ac ne plura de terra, matre  
omnium dicamus, quod de aqua elemento spaciofissimo  
referemus? Quis sibi vendicat imperium maris, flumi-  
num, torrentium, lacuum, stagnorum, rivulorum, fon-  
tium? Homines. Quis laitorum conviviorum ludum  
parat è ferculis piscium marinorum, fluvialium, lacu-  
strum, palustrium? Homines. Jam quid vivit in aëre?  
quid moveretur in tota rerum universitate, quod nostris  
non serviat usibus? Nostræ sunt alites, & oscines: no-  
stri sunt cœli, nostra sidera. Sed quo rapimur amore  
Hominis? Per Deum immortalem novimus etiam no-  
stros esse ipsos angelos, in cœlis. Nos enim non Ange-  
lis servimus, sed Angeli nostræ sunt deputati custodiæ.  
Psal. 91. Et quidem serviant nobis in omnibus vijs no-  
stris, choro, in foro, in toro. Imo administrant cuivis  
homini.

homini ante vitam, nam cuilibet in utero materno adhuc delitescenti inserviunt, ne malorum, telis exponantur. Serviunt nobis in vita Matth. 18. v. 10. & tandem post hanc vitam, cum nos pie & placide in Christo defunctos, in sinum Abrahæ transferunt, ut ibi coelestis vita gloria & læticia sempiterna fruamur. *Luc. 16. v. 22. Matt. 13. v. 39.* Ex his omnibus, Auditores, sat prolixè dictis, clarius jam luce meridiana constat, nullam planè Creaturam, neq; in cœlis neq; in terris esse, quæ cum Hominis præstantia & dignitate comparari possit.

At, inquit, Momus perspicacissimus ille omnium contemplator, & reprehensor, qui nihil ipse faciens, aliorum facta carpere semper studet; Si homo à Deo tam affabré, tam sapienter, tamq; perfectè conditus est, ut nihil ferè in ejus opificio desiderari videatur; Cur, quæso illud prætermissum quod maximè necessarium erat, quod videlicet Opifex ille Maximus non providerit, ne doli in pectoribus tam abstrusi & reconditi laterent. Et opus multò laudabilius & perfectius visum fuisse, si fenestratum pectus esset, ut sciretur, quid in animo quisque strueret. Tum etiam indignum Momo videtur, oculos non fuisse ita collocatos, ut circumagi plane possint, atq; interiora, id est, ea quæ in homine sunt, intueantur, non solum ea, quæ extra hominem sunt. Sed tu Stygie Mome impia & blasphema isthæc tua carpendi licentia & protervia es. Apage hinc cum perverso tuo judicio, qui tam impudente animo & fronte Deum calumniari non erubescis. Nos scimus Dei opera omnibus planè numeris absoluta esse, adeo ut

— — — — *Non ullum carpere Livor  
Posit opus Domini*

Ac audi Mome maligne Plutarchum tibi ad utrumq; non minus lepidè quam rectè respondentem: *In sympos. lib. 3.* Quid obsecro, inquit

quit, eos cancellos, eas fencas requiris, per quas alter alterius  
animum intueamur? Vinum abunde nostra pectora recludit, per-  
sonam, frontisq; tectorum detrahens nobis, ut longissime à lege,  
ceu à pædagogi latere recedentibus. Sic & alius quidam elegan-  
tissime afferit, Hominis ingenium, mores & naturam in oculis  
loculis & poculis elucere. Sed nec desunt oīj iniqui divinorum  
operum æstimatores, qui in morosophia sua queruntur, quod  
mole corporis non æquemus elephatos, velocitate cervos, levi-  
tate aves, impetu tauros, quod sagacitate nasum nos canes vin-  
cant, acie luminum aquilæ, spacio ætatis corvi. Imò vix sibi qui-  
dam temperant, quin eo usq; impudentiæ provehantur, ut natu-  
ram oderint, quod infra Deum sit constituti. At non nisi Dia-  
bolica illa blasphemia, & impietas est, ab ipsis etiam Ethnicis sa-  
nioribus satis exagitata, & planè repudiata. Quin isti perversi  
operum Dei censores accuratè attendant, quod scitissimè Plutar-  
chus in Moral. Equi celeritas, inquit, in nostrum cedit emolumen-  
tum: canum pugnacitas hominem tuerit: piscium, suum, & id  
genus aliorum alitum corpulentia: Elephas terribilis quidem  
ille est, & vasto corpore, sed adeò nobis obnoxius, ut tantam mo-  
lem in ludicra vertamus. Itaq; si cui putet, ac vilior est hominis  
status, sic nos reprimamus: Non inest quidem nobis leonis robur,  
leporum pernicitas, aquilæ visus, taurorum impetus, &c. At inest  
prudentia, inest ratio, inest oratio nobis, qua unicuiq; istorum  
dominamur ad societatem, vertimus ad delicias, & utcunq; libue-  
rit, versamus. Hæc ille. Videatur etiam Seneca hac de re plura sa-  
pientissime lib. 4. cap. 18. de benef. At verò quid Momos, & Moro-  
sophos excellentiam Hominis elevantes, & attenuantes intro-  
duco? audite quæso ipsum regium Psalmum Davidem Hominem  
insipientibus jumentis similem factum esse aperte profiteretur. Sic  
enim Psal. 49: Homo cum in honore esset, inquit, non intellexit,  
comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis.  
Ubi satis manifestè Propheta declarat hominem quidem ad ima-  
ginem Dei creatum, & ad incredibilem atq; æternam felicitatem  
ordinatum fuisse, sed eundem turpissimo suo lapsu, divina im-  
aginis præstantiam amisisse. Unde jam varijs morbis, & morti ob-  
noxius factus est: versatur in magna caligine & ignoratione:  
exorbitat à norma legis; & ad voluntatem horrendi satana fese

D

accom.

accommodat: factus etiam imbecillior ursis & leonibus; hebetior aquilis & lyncibus: brevioris ævi, quam sunt aut cervus, aut cornix, aut phœnix. Verum eimvero etsi omnia hæc vera esse fatemur: nihil tamen minus summam Hominis dignitatem & præstantiam præ omnibus animantibus esse quis inficiabitur? Scrutamini quæso universa sacra scripturæ testimonia, libris Prophetarum & Apostolorum comprehensa: certè confirmatum ubiq; reperietis, quod summus Jehovah, Pater ille cœlestis, ex immensa sua misericordia, lapsos nos homines per mortem & resurrectionem Christi, filij sui unigeniti, vicissim in gratiam receperit, atq; imaginem ac similitudinem suam, quam amissimus, denuo instauraverit, nosq; in Christo filios suos, nova baptismi regeneratione adoptaverit, ac æternæ salutis hæredes constituerit. O beatos igitur nos homines! quod Deus fons omnibus boni, nos qui vera fide, & sincera fiducia toti à Christo Jesu, servatore & redemptore nostro pendemus, in consortium filij sui admittit, & in filios adoptos: nec adoptionem illam ad præsentis tantum vitæ currículum restringit, ut morte nostra terminetur: sed continuat in æternum: ut post mortem quoq; nostram ipsius filij in Christo dilectissimi simus & maneamus, & tandem cum ipso ineffabiliter æternæ vitæ gloria in cœlis fruamur: ubi vicissim inhæredit animæ nostræ perfecta notitia, perfecta sapientia, perfecta justicia, perfecta diuinæ leticia: ac in corpore nostro fulgebit atq; eminebit claritas immensa, subtilitas admiranda, sanitas perpetua, immortalitas gloriofa. O nos igitur præ reliquis animantibus felices! ò nos beatos! qui magnam illam ac inestimabilem cœli gloriam per Christum speramus, atq; certissime assequimur. Sed admiratio & gravitas rei tam eximiae, & propædivinæ, qua de hac tenus dixi, & nunquam, quæ ejus est dignitas, satis dici potest, me hic subsistere jubet, ne calamum tam citè de tabula hac pulcherrima removeam, sed quod & antè promisi, coronidis loco de exactissima hominis cum universalí mundo similitudine seu symmetria, ac pene identitate jam non nihil breviter, strictèq; proferam. Vos Auditores illam inductionem & tenuem delitionem paulisper quæso, mecum ponderate. Verissimè μηνεργοσ γε seu parvus mundus Homo dici potest. Quippe de Deo scimus, cum spiritum esse, mundum esse palpa-

mūs.

mus. In Homine habemus utriusq; epitomen; Dei, in spiritu sua  
mente; mundi, in corporis structura, & compage: Et sic creator  
singulare aliquod suæ artis specimen exhibuit, tum ut infinitam il-  
lum suam naturam, tum immensam hanc mundinam exiguo spa-  
cio includeret. Mirabili quadam ratione quatuor illa elementa,  
ignis, aëris, aqua, terra in homine deprehenduntur. Ignis naturalem  
hominis calorem, aëris, spiritum: aqua sanguinem, cæterosq; hu-  
mores: terra, carnem, & ossa representare perhibetur. Ut Sol, &  
Luna totius mundi sunt lumina, juxta Poëtam:

— — — — *Vos ô clarissima mundi*  
*Lumina labentem caelo que ducit annum :*

Sic in homine oculi extant bini, lumina splendidissima, quæ laben-  
tem indies ætatem illustrant, profutura, nocituraq; indicent: Sene-  
scente ætate non minus, quam sole, Lunaq; collabentibus ijsdemq;  
occiduis, paulatim vi sua deficiunt. Quemadmodum Tellus quo-  
dammodo vivit, habetq; sua Spiramenta, inæquales ventorum fla-  
tus, tum frigidos tum calidos, tum putri, infectave palude, tum  
ubere gratoq; solo exhalatos: Ita sunt etiam homini sua spiramen-  
ta, sunt anhelitus inæquales item, ut hominis constitutionem cer-  
to præmonstrent. Ut Terra vapores sursum emittit, & in pluviam  
vertit, leniterq; remittit aëris: Sic Stomachi cum cerebro idem fœ-  
dus est; eo utrinq; rupio, incompositè elati vapores pejus ruunt, ut  
alijs terram grandine, intempestivisq; imbris: alijs corpus calcu-  
lo, molesta pituita, dirisq; tumoribus verberent. Ut terra habet  
latentia occultaque, vitia, quæ in terræ motus, hiatus, ignes desinunt:  
Ita & homini sua sunt morborum genera, quæ in hiatus tabo pro-  
fluente, quæ in tremore, ac ignes desinere videntur. Ut suns  
terræ montes, vallesq; silvis vestitæ: Sic in Homine barba comeq; in  
ylvias abeunt, juga sunt humeriq; manusq;. Quod caput est Homini, terra est in  
monte cacumen. Ut sunt terræ suæ partes sicissimæ: Sic in homine  
aliæ alijs exsiccatores, humentiores aliæ. Ut Terra habet maria,  
& fluminum fluxus & refluxus perpetuo ordine: Sic homini ma-  
re est sanguis circa cor in medio corporis. Ut spiritus Domini fe-  
rebarit super aquas; sic spiritus hominis in sanguine habitat. Ut  
aquâ irrigantur semina in terram jacta: sic irrigantur, foventur,  
& nutritiuntur sanguine concepti fœtus. Vi Terra, pontusq; suæ  
ocia habet: juxta ovidium: Ocias terra ferax, ocias pontus habet:

sic &c.

Sic & Homo sua foveat ocia. Neq; enim quisquam potest sine intermissione semper laborare: Etenim Quod caret alterna requie durabile non est. Plura ad exactam Hominis cum universalis mundo symmetriam pertinentia congerere desinam, ne in magnitudinem planè indecoram excrescat oratio, quæ & mihi dicendi, & vobis audiendi fastidium forte pariat. Cum itaq; haec tenus, Auditores, satis haud dubiè perceperitis, quod tam affabre, concinnè, & sapienter Homo ad imaginem & similitudinem Dei, rerum omnium Dominus conditus sit, quod eximia & pene divina ratione, ac Oratione polleat; quod mirifica figuræ pulchritudine, sapientia, justicia, & potestate prædictus sit; quod non secus ac Deus ipse Angelis sanctis ministris suis utatur; quod temporali tandem vita defunctus propter Christum ecclestium regnum hæreditatem acquirat; quod deniq; exacta & jucunda hominis cum toto mundo similitudo, ac symmetria sit: nemo, opinor, hominum erit, qui necum idem sentiat, quod in spacioissimo ac amplissimo totius mundi ambitu & complexu, nulla nulla inquam omnino sit Creatura, quam Homo dignitate, & nobilitate non antecellat. Quamobrem de tanta felicitate divinitus nobis concessa, meritò lætemur, jubilemus, ac triumphemus, & ex intimis animorum penetralibus, pro admiranda Hominis Creatione Deo sempiternas gratias agamus: ipsumq; pariter ardentissimis votis invocemus, ut per Emanuelem, & Iesum, nosrum Jesum Christum, nos universos, gratissima dexteræ sue opera, clementissimè tegat, & conservet; suoq; sancto spiritu benignè regat, ac vasa misericordiæ & gratiæ faciat; ut militando hic bonam militiam, resistentes fidem, & bonam conscientiam, amplissimum & sanctissimum illud jus filiorum Dei, ac æternum ac gloriosum beneficium hæreditatis regni cœlorum, gratuitâ Dei Patris bonitate nobis promissum, & preciosissimo Christi merito paratum & donatum, post ærumna biles hujus vitæ labores exantatos, certissimè tandem in novissimo die consequamur. Hoc eia facit, faxit ter sancta Trinitas, laudanda in infinitas seculorum myriadas.

Amen, Amen.

D I X I.

DEO GLORIA ET GRATIA.



Universitäts  
Bibliothek  
Rostock


[http://purl.uni-rostock.de  
/rosdok/ppn729271994/phys\\_0031](http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729271994/phys_0031)

DFG



quid, eos cancellos, eas fenebras requiris, per  
 animum intueamur? Vinum abunde nostra p-  
 sonam, frontisq; tectorum detrahens nobis, u-  
 ceu à paedagogi latere recedentibus. Sic & al-  
 tissime assertit, Hominis ingenium, mores &  
 loculis & poculis elucere. Sed nec desunt ali-  
 operum æstimatoræ, qui in motosophia sua  
 mole corporis non æquemus elephantes, vele-  
 tate aves, impetu tauros, quæ sagacitate nas-  
 cant, acie lumen aquilæ, spacio ætatis corvi-  
 dam temperant, quin eo usq; impudentiæ pro-  
 ram oderint, quod infra Deum sint constituti.  
 bolica illa blasphemia, & impietas est, ab ipsis  
 nioribus satis exagitata, & planè repudiata.  
 operum Dei censores accuratè attendant, quæ  
 cibis in Moral. Equi celeritas, inquit, in nostrum  
 tum: canum pugnacitas hominem tuerit: pi-  
 genus aliorum alimur corpulentia: Elephas  
 ille est, & vasto corpore, sed adeò nobis obno-  
 lem in ludicra vertamus. Itaq; si cui putet, ad  
 status, sic nos repræciamus: Non inest quidem  
 leporum pernicietas, aquilæ vîsus, taurorum im-  
 prudentiæ, inest ratio, inest oratio nobis, qui  
 dominamur ad societatem, vertimus ad delici-  
 ì, versamus. Hec ille. Videatur etiam Seneca  
 plenissime lib. 4. cap. 18. de benef. At verò quidem  
 sophos excellentiam Hominis elevantes, &  
 duco? audite quæso ipsum regium Psalmem D  
 insipientibus jumentis similem factum esse ap-  
 enim Psal. 49: Homo cum in honore esset, inq  
 comparatus est jumentis insipientibus, & su-  
 ubi satis manifestè Propheta declarat homin-  
 em Dei creatum, & ad incredibilem atq; æ  
 ordinatum fuisse, sed eundem turpissimo suo  
 gini præstantiam amisisse. Unde jam varijs &  
 noxijs factus est: versatur in magna caligini  
 exorbitat à norma legis; & ad voluntatem h

D



erius  
 i, per-  
 lege,  
 gan-  
 culis  
 rum  
 quod  
 levii  
 vin-  
 qui-  
 natu-  
 Dia-  
 is sa-  
 versi  
 lutar-  
 men-  
 & id  
 lem-  
 moni-  
 obur,  
 inest  
 orum  
 ibue-  
 ra sa-  
 loro-  
 ntro-  
 inem  
 . Sic  
 lexit,  
 illis.  
 ima-  
 atem  
 ima-  
 ti ob-  
 ne :  
 se fese  
 com-